


Philipp Ludwig Hanneken Joh. Conradus Gebhard


Disputatio Inauguralis Theologica De Statu Vitae Christianae Perfectiori

Giessae: Literis Academicis Kargerianis, 1686

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787613886>

Druck Freier  Zugang






106.

Fa-1092 (106.)

39
38
37
36
35
34
33
32
31
30
29
28
27
26
25
24
23
22
21
20
19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1



DISPUTATIO INAUGURALIS
THEOLOGICA
DE
STATU VITÆ
CHRISTIANÆ
PERFECTORI,

QUAM

AUXILIANTE DEO T. OPT. MAX.

EX CONSENSU ET DECRETO

AMPLISSIMÆ ET PLURIMUM VENERANDÆ

FACULTATIS THEOLOGICÆ,
PRÆSIDE

VIRO plurimum Reverendo, Amplissimo & Excellentissimo

DN. PHILIPPO LUDOVICO
HANNEKENIO,

SS. Theol. Doctore, ejusdemque Professore Primar.
celeberrimo, Dn. Patrono & Præceptore suo, immortalis
veneratione & cultu suspiciendo,

*Pro impetrandis summis in Theologia Honoribus & Privilegiis
Doctoralibus,*

Publico & solenni Excellentiss. Dnn. Professorum examini submittit

M. JOH. CONRADUS GEBHARD.
Pastor Giessens.


Addiē 11. Martii, Anno MDC LXXXVI.

GIESSÆ

Literis Academicis KARGERIANIS.



PRO O E M I U M



Admonemur sapissime in Sacris, ut studeamus perfectioni, *Matth. 5. v. 49.* Estote perfecti, sicut & Pater vester, qui in caelis est, perfectus est. *1. Cor. 14. v. 20.* Malitiã estote parvuli, sensibus autem perfecti estote. *2. Cor. 13. v. 11.* Gaudete, perfecti estote &c. prout & Paulus scribit *ad Colossenses cap. 1. v. 28. & 29.* Se in eò laborare, ut omnem hominem perfectum exhibeat in Christo Jesu. Non quasi homo renatus ad eam perfectionem pervenire possit, ut deponat omnem malitiam, suscipiat omnes virtutes, & non amplius peccet, sed ut per fidem in Christum coram Deo sanctus & justus, atque ad eò perfectus censeatur, & postea per Spiritum S. semper in melius proficere studeat; Et hanc perfectionem quilibet Christianus, ut consequatur, omni studio & industriã contendere tenetur. An verò cum in finem, vitam cælibem eligere, vel in contracto matrimonio consuetudine conjugali abstinere, omnes suas facultates & bona deserere, vel cum aliis, Reipublicæ administrationem, & officia civilia negligere, & sanctum ordinem assumere, hocque modo perfectionem Christianam aspirare debeat, sicut in Monasteriis viventes, se sanctiorem omnibus aliis Christianis iniisse vitæ rationem, sibi persuadent, nec consultum, nec licitum est.

A 2

Cum

Cum nihilominus hujus ordinis homines , vitam suam Monasticam reliquis omnibus vitæ generibus , vitâ Magistratum , vitâ Pastorum & similibus , qui in mandatis Dei sine factitiis religionibus , suæ vocationi serviunt , longissimè præferant , & insuper in hoc vitæ suæ genere , se tam perfectos esse , ut non modò præcepta Dei , sed etiam consilia Evangelica servent , & sibi & aliis gratiam Dei , remissionem peccatorum , justificationem & vitam æternam mereri posse , arbitrentur. Quare mecum constitui , stultas occæcatorum horum hominum imaginationes refellere , & ubi vera & superabundans Christianorum perfectio , in sanctissimis Dei oculis , & ejus judicio sufficientissima consequenda sit , remonstrare. Præprimis , quia undiquaque audimus , quàm Papatris Patroni terminos suos proferre , & hanc suam blasphemam in Dei filium doctrinam de sua perfectione in electitiis cultibus , animis hominum instillare valde allaborent , ut nervum totius regni Pontificii , qualis rectissimè perfectionis ipsorum doctrina , quia fabricatrix satisfactionum pro peccatis est , audit , incidamus. Et quidem seq. V. quæstionibus , quibus , quia Scriptura divinitus inspirata , non modò utilis est ad docendum , ad arguendum & corrigendum 2. *Timoth. 3. v. 16.* quem usum ex denominatis v. quæstionibus haurimus , sed & ad consolandum & ædificandum , adjiciam coronidis loco , sextam vel ultimam quæstionem , ex qua de usu præsentis disputationis pratico constabit.

Juva Jehova, Perfectio nostra !

QUÆ.



QUESTIO I.

An Monachatus sit status perfectionis ? N.

§ I.



Monasticen Pontificii credunt peculiarem ordinem (1) perfectiorem & Deo gratiorem (2) institutum pro illis, qui sibi & aliis Dei gratiam, remissionem peccatorum & vitam æternam mereri volunt. *De illo* Johannes à Daventria in Harmonia Andreae Fabricii scribit: Monachos rectè dici esse in statu perfectionis, ipsumque Monachatum, qui illa omnia quæ ad perfectionem faciunt, & multò plura complectitur, non abs re statum perfectionis appellari. *Bel-larminus lib. de Monachis cap. 2 §. 1.* Religio status est hominum, ad perfectionem Christianam per paupertatis, continentia & obedientia vota tendentium. *Idem in præfat. lib. de Monachis:* In cucullis Monachorum medullam veræ religionis, & sanctæ vitæ quærendam esse. *Lorinus in Psal. 147. p. 934.* Nos, qui ad sanctius vocati vitæ institutum sumus, possumus & debemus, sed eâ, quâ par est, grati animi modestiâ agnoscere dignitatem & privilegium nostrum, quod non simus, sicut cæteri hominum, quodque non fecerit Deus taliter omni nationi. Et illud *Hieronymi*: Majoris gratiæ est offerre, quod non debes, quam reddere, quod non exigitur. *De hoc* in confutatione sua Pontificii loquuntur his verbis: Sacris literis expressum est, Monasticam vitam, debitâ observatione custoditam, quam per gratiam Dei quilibet Monastici custodire possunt, mereri vitam æternam, & quidem multò auctiorem Christus iis promissit, qui reliquerint domum aut fratres &c. quæ citantur in *Apol. p. 283.* Item formula absolutionis Monasticæ, ubi inter cætera dicunt: *Meritum ordinis, gravamen religionis, cedant tibi in remissionem peccatorum.* Et quod in Investitura Monachatus dicunt: *Benedicat Dominus huic*

A 3

36
5
24
3
7
8 29
28
9 27
11
12
13
14
15
17

huic vesti, ut sit firma armatura contra impetum Satanæ, & ut tegere possit peccata tua coram facie Dei. contra quod *Johannes Rivinus* lib. 1. de *superstit.* scribit : Quid commentum illud de veste Franciscana? qua in veste, qui mortuus, vel elatus fuisset, nihil in eum Damoni esse juris? quia Franciscani merita sua, operaque bona, quæ toto sunt ordine, una cum veste communicassent. Hinc majorum liberalitas erga Monachos, hinc legata cœnobiorum! Et inde est, quod Albertus, Corporum Princeps, & alii permulti in cuculla Monastica sepeliri voluerint. Quæ testimonia nobis satis hanc Pontificiorum declarant opinionem : Religiosos esse in statu perfectionis, imò tantæ perfectionis, ut de abundantia suorum meritorum aliis impertiantur.

§. 2. Quamquam ipsimet dissideant: alii enim vitam Monasticam volunt statum perfectionis adeptæ, alii verò, sc. prudentiores, offensi immodicis encomiis status Monachici, perfectionis acquirendæ. Quod posterius, etiam si aliquid dictum videatur, quia hæc ratione exæquantur vitæ genera, dum quisque, in quacunque vocatione & statu perfectionem experere debet, fucus tamen & fraus est, nervos enim retinent, nempe perfectionem & merita. Vendunt enim illa aliis ad salutem & remissionem peccatorum communicant & applicant, & Pontificem thesaurum illorum superfluatorum meritorum habere statuunt, quæ pro suo arbitrio dispenset ad remissionem culpæ & pœnæ viventibus. Quid est autem arrogare sibi perfectionem, si hoc non est?

Thesis

§. 3. Nos etiam Monasteria, qualia in tertio & quarto post Christum natum seculo fuere, admittamus, si nempe libera sint collegia & scholæ pietatis, honestatis ac disciplinarum Ecclesiæ necessariarum & utilium. uti *Henricus Petrejus* in tract. de *Monast.* fol. 17. ostendit. Nullas tunc temporis fuisse Academias, sed omnem, literas docendi & discendi laborem in Monachorum claustra translatum fuisse. Etiam in iis probatæ vitæ & senio confectos, utriusque sexus homines, qui corpore & spiritu casti in illis vivere, & utiliter manibus vel mente operari constituerunt, ali posse statuamus; istam tamen professionem Monachorum, qualis hodie est, quâ adolescentes & virgines se votis obstringunt ad perpetuam castitatem, perpetuam paupertatem, & obedientiam,

tiam, sub opinione cultus & meriti remissionis peccatorum & iustitiæ coram Deo, inò cum persuasione esse hunc statum perfectionis, in quo viventes tam perfecti sint, ut sibi & aliis gratiam Dei, remissionem peccatorum & vitam æternam promereantur, execramur & abolendam volumus, de quo in *Articulis Schmalcaldicis* his verbis disseritur, p. 311. & 312. Collegia Canonicorum & cœnobia, olim optima intentione majorum fundata, ad educandos viros doctos, & castas ac modestas fœminas, debebant rursus converti in talem usum, ut pastores, concionatores, & alii Ecclesiarum ministri haberi possent, item, alii idonei ad politicam administrationem, sive ad rempublicam in civitatibus & regionibus, ac piè educatæ virgines ad æconomiam & liberorum educationem &c. Hunc usum, si non retineant, consultum est, ut vasta deferantur, aut diruantur potius, quam ut idolatricis cultibus & figmentis hominum propagata præferantur Christianæ vitæ, & à Deo mandatis officiis & vocationibus.

§. 4. Probanus autem sententiam nostram (1.) quia fides *Thesis con-*
& charitas, in qua vera perfectio, confitente ipso *Bellarmino lib. de fir.*
Monachis cap. 2. §. 2. consistit, omnibus piis communis est. E. &
perfectio, in fide & charitate consistens omnibus verè piis com-
munis est, & non Monachorum propria (2.) quia gradus dilectio-
nis divinæ, nobis in hac vita possibiles, ab omnibus omninò ho-
minibus requiruntur *Eph. 4. v. 13.* E. etiam perfectio, neque solis
Monachis præcepta, neque ab istis solis speranda. (3.) quia Scri-
ptura eos vocat perfectos, qui Monachi nunquam fuere, *Gen. 6.*
v. 9. cap. 17. v. 1. Philip. 3. v. 15. Coloss. 2. v. 10. Hebr. 5. v. 13. 2. Ti-
moth. 3. v. ult. consentiente *Bellarmino de Monach. cap. 2. sub fin.*
Fieri potest, ut aliquis sit perfectus, & tamen non sit in statu per-
fectionis. ubi dubio procul Bellarminus respexit ad charitatem,
quæ sæpe major in aliis, quam Monachis (4.) Christus & Apostoli
perfectæ vitæ statum & exemplum omnibus exhibuerunt *Matth.*
11. v. 29. Discite ex me *1. Cor. 11. v. 1.* Imitatores mei estote, sicut
ego Christi. Sed nec Christus nec Apostoli in claustra se abdide-
runt, vel votis obstrinxerunt, vel autores vitæ Monasticæ fuerunt.
(5.) Si ex regulis Monachorum perfectio haberi posset, lex Dei,
doctrina Christi, Prophetarum & Apostolorum non esset perfecta.
(6) Si

(6.) Si Monachi, sicut Pontificii statuunt, vivunt vitam contemplativam, potius præ Monachis illi, in perfectionis statu collocandi, qui contemplationi actionem conjungunt: vita enim activa per se præstantior est contemplativa, & majorem etiam fructum, tam in agente, quam in aliis producit, unde *Granatensis conc. 2. in festo Matth.* Monachos contemplativos inter infima Ecclesiæ membra numerandos censet.

o'jea.

§. 5. Obj. Objectum Monachatus adæquatum esse, divinas laudes, & pietatis studium, tum in se, tum in aliis promovenda, Monachosque se totos consecrare Dei obsequio. R. Consecratio ista quidem esset exoptanda, sed ut plurimum Monastica in idea tantum talis est, & non in suis existit subjectis. Objectum autem hoc non potest dici statui Monastico ita proprium, ut non competat etiam reliquis statibus, politico & conjugali, in quibus de jure divino requiritur, ut intentione non implicita & indirecta, sed explicita & directa in Dei amorem & gloriam ferantur. *1. Cor. 10. v. 31. Coloss. 3. v. 17.* in quibus etiam omnes actiones fieri debent, cum intentione Deum & proximum diligendi *Rom. 13. v. 9. Gal. 5. v. 14.* Quæ intentio, etsi non semper obtineatur, non tamen status imperfectione, sed ab utentium vitio fit.

Except.

§. 6. Si excipiam: Non esse quæstionem, quid in quovis statu fieri debeat, Deusque ab omnibus requiratur, sed quid quilibet præstare possit, jam verò solis Monachis suppetere media illius perfectionis, seu instrumenta aptissima atque utilissima ad acquirendam perfectionem, qualia sunt cælibatus, neglectus rerum secularium, vota, quibus cum aliqua solemnitate se obligant ad ea, quæ sunt perfectionis, asperitas victus & amictus, vigiliae, flagellationes, locus, solitudo &c. R. de cælibatu & abdicatione rerum secularium dicturi sumus in seq. 2. quæ de votis autem, vigiliis, flagellationibus, vestimentis & alimentis corporis, & aliis exercitiis Monasticis concedunt ipsimet, ea non facere per se ad perfectionem, sicut Tannerus *tom. 3. Theol. Schol. Disp. 6. q. 3. dub. 1. num. 19. ex Thoma 2. 2. q. 188. articul. 6. ad 3.* scribit. Non esse potiorem religionem ex hoc, quod habet arctiores observantias, seu quod durior & asperior sit, sed cæteris paribus ex hoc, quod ex majori discretionem sunt ejus observantiæ ordinatæ ad finem reli-

religionis. Sicut etiam inter nos & Monachos non controversatur : An vota & alia exercitia ipsorum propius ducant ad perfectionem, quam quævis alia pietatis officia in quovis vitæ genere, quod ipsi non audent asserere, sed annon ista vota & exercitia propius adducant ad illum statum perfectionis, quem ipsi Ceremoniis vorentium commenti, qui status cum non sit ipsa perfectio, sed irrevocabilis obligatio ad sectandam perfectionem, non poterit ex eo inferri, ad perfectionem ipsam vota & alia exercitia Monastica plus conducere, quam quævis alia à Deo instituta pietatis exercitia, qualia sunt regere subditos, liberos in timore Domini educare, vivere ex manuali opificio &c. Locus autem & solitudo, ne dicenda quidem sunt media perfectionis consequendæ, nedum efficaciora, quam alia pietatis exercitia, locus enim non sanctificat hominem, spiritus si deest, non adjuvat locus, sicut *Gregorius Magnus* scribit: Quælibet occulta loca sine gratia animam salvare non possunt, quod aliquando in ipsis quoque conspiciamus erratis electorum. Nam Loth in ipsa perversa civitate fuit iustus, in monte peccavit &c. quid Paradiso jucundius? quid cælo securius? & tamen homo ex Paradiso, & Angelus de cælo peccando cecidit. Et solitudo, dum aliis aditu interdicit, ne quid videant, per quod ad libidinem rapiantur, non domat & compescit carnem & affectiones animi, de quo *Erasmus in vita Hieronymi* scribit: Dolendum esse, huc denique collapsam Christianorum pietatem, ut virginum integritas ferreis claustris & repagulis murorum sit extorquenda, cum ea demum accepta sit religio Christo, non quæ vi extundatur, sed quæ ultrò à volentibus offeratur. Quanquam hodierni Monachi, haud convenienter suo nomini, non solum in urbibus, sed etiam in Principum aulis frequenter conspiciantur, & dum antiquiores Monachi à rerum secularium tractatione abstinerunt, & seculo huic renunciarunt, ut liberius Deo servire potuerint, tum hodierni hominum consortium diligunt, secularia negotia tractant, & consiliis Principum inter sunt, quandoque etiam præ sunt, quod jam olim in illis reprehensum. Quæ media nunc, si hominem aliis perfectiorem reddere nequeunt, etiam per hæc Monachus aliis piis palmam in perfectione minimè præcipit: potius, sicut omnibus datum est Evangelicæ perfectionis præceptum,

ptum, ita quoque omnibus Christianis, in quocunque vitæ genere viventibus, suppetere perfectionis media, dicimus, quod & confirmant definitiones perfectionis à Jesuitis & Pontificiis traditæ. *Tannerus tom. 3. Theol. Schol. Disp. 6. q. 3. dub. 1. n. 9. & seq. ex Thoma 2. 2. q. 184. art. 2.* Perfectionem Evangelicam potissimum & formaliter in charitate ponit, principaliter eâ, quâ Deus, secundariò eâ, quâ proximus diligitur. *Greg. de Valentia lib. de div. grat. part. 4. cap. 1. sub fin.* Iustum Christianæ perfectionis gradum in eo ponit, ut vitentur peccata mortalia, venialia vitari non posse, nec perfectioni obesse. An non autem media vitandi peccata mortalia divinâ gratiâ, & mediâ Deum & proximum diligendi, suppetunt Christianis in quovis vitæ statu? E. & hi status, non minus perfectam Dei dilectionem includunt, quam Monasticus, ac vi suæ institutionis non minus ad perfectionem ducunt, quam regulæ Monachorum de severiori corporis habitu, vestimentis & alimentis, vigiliis, flagellationibus &c.

QUÆSTIO II.

An Calibatus sit status perfectionis, conjugium verò imperfectionis? N.

Annib.

§. I. **M**Onachi calibatam dicunt statum perfectionis, qui per se mereatur remissionem peccatorum & vitam æternam, uti Petrus à Scoto *contra Confess. Wirtenberg. cap. de votis Monasticis, Virginitatem & calibatam esse satisfactionem peccatorum maximam, & meritum vitæ æternæ*, scribit. Et fingunt, si insuper votum accedat, ut calibatus Deoroveatur, tum multò gratiorem esse, & magis mereri remissionem peccatorum & vitam æternam, quam si liberè, sub consilio, eò modò sicut Christus & Paulus tradunt, servetur, quasi dicat ille, qui vovet: Tu Deus noluisti calibatam præcepto astringere, sed reliquisti sub consilio, ego verò volo & possum calibatam præstantiorem tibi afferre, quam tu constituisti, per votum enim eximam calibatam à consilio, & faciam inde præceptum ultra mandata Decalogi. Conjugium autem vocant statum imperfectionis, qui, ceu status carnalis, profus pugnet cum calibatu, seu statu consequendæ perfectionis, &

nis, & sacris suis ordinibus. Hinc non modò ad conjugatos accommodant loca de operibus carnis & immunditie *Apoc. 21. v. ult.* Nihil immundum intrabit in eam. *2. Cor. 7. v. 1.* Fugite inquinamenta carnis & spiritus. *Es. 52. v. 11.* Mundanini, qui fertis vasa Domini. *Rom. 8. v. 8.* Qui in carne sunt, Deo placere non possunt; loca verò de sanctificatione & purificatione ad solos cælibes & virgines; sed & nullum uxoratum, tanquam hominem imperfectum & profanum patiuntur in sacris suis ordinibus, de quo *Alfonſus Virveſius contra Confess. Auguſt. artic. de conjugio Sacerdotum sic scribit*: Conjugium res est inferior Sacerdotio, ita ut à toto genere, quod ajunt, conjugium ordo profanus, Sacerdotium verò sacer habeatur. Ab ordine ergò imò atque profano licet ascendere ad sacrum & sublimem, quis verò non videat è converso haud æquè decentem esse regressum? Et *Gregorius nonus 3. decretalium de Clericis conjugatis ita inquit*: Clerici accipientes uxores privandi sunt Ecclesiasticis beneficiis, quia cum simul voluptatibus & carnalibus desideriis ac divinis & Ecclesiasticis obsequiis vacare non valeant, ob immunditiam suam indigni sunt Ecclesiasticis sacramentis tractandis. Ex quo fundamento etiam Sub-Diaconis communiter matrimonio interdixerunt, quod olim non fiebat, uti *Contarenius lib. 4. de Sacrament. de Sub-Diaconis testatur*, scribens: Huic (ordini) priscis temporibus non erat annexum votum continentie, visum posterioribus fuit, cum tangat vasa sacra Sub-Diaconus, pertinere etiam ad hunc ordinem munditiam castitatis.

§. 2. Licet varient in repugnantia & contrarietate. Michael Medina distinguit inter *contrarietatem formalem*, quæ sit ab ipsis rerum formis & essentiis, ut albi & nigri, frigoris & caloris, sicci & humidi: & *virtualem*, quæ à pugnantibus mutuò dissidentibusque effectis, quomodo duæ formæ essentielles in eodem loco & subiecto repugnare dicuntur, & tandem *lib. 1. de Contin. cap. 49.* virtuales dicit esse repugnantiam. Quod si inquit, matrimonium & ordo sacer formali repugnantia, quæ ab essentiis desumitur, secum mutuò non pugnant, restat, ut virtuali, quæ ab effectuum contrarietate descendit, judicentur contraria, quoniam scilicet ordinis sacri functionibus cum matrimonii & nuptiarum

36
5
24
3
7
8 29
28
9
27
11
12
13
14
15
17

usu nullo pacto conveniat. Et *Bellarminus lib. de Clericis, cap. 18.* Matrimonium non pugnat cum ordinibus ratione essentia suæ, sed ratione officii, seu exercitii conjugalis, si enim Deus prohibuisset Sacerdotibus conjugium, certè prohibuisset propter actum conjugalem, qui hominem reddit totum carnalem, & ineptum ad divina: nec non propter sollicitudinem domus & liberorum, quæ plurimas parit distractiones, non autem propter solum Sacramentum conjugii, vel propter contractum matrimonii, qui celebratur solo consensu animorum, & est res brevissima & honestissima.

Thesi.

§. 3. Nos nullam videntes contrarietatem inter functiones sacras & res conjugales, etiam officia Ecclesiastica impeditiva esse matrimonii, tanquam status immundi & imperfecti non credimus. Et dum Papistæ in suo cælibatu non respiciunt fines à Christo & Paulo assignatos *Matth. 19. v. 12. 1. Cor. 7. v. 32. & 34.* sed fingunt alios, ut pro suis & aliorum peccatis hac ratione satisfaciant, ac vitam æternam sibi & aliis promereantur, uti *Petrus à Scoto*, illam satisfactionem dicit *Maximam*, quasi hoc vitæ genere plus supererogent, quam perfecta legis obedientia requirat, injurii sunt in Christum, gloriam sanctissimo ipsius merito unice debitam, blasphemè sibi ipsi arrogantes. Cælibatum autem in personis idoneis, liberè sub consilio, & non nisi ob causas finales in scriptura denominatas, susceptum & servatum, laudamus & commendamus, bene considerantes illud Pauli: Qui elocat, bene facit, qui non elocat, melius facit. Concedo etiam decorum, fortassis etiam utile fore, si officia Ecclesiastica istiusmodi cælibibus castis committantur, adeoque vitam cælibem per se non impiam dicimus, ac si nec virgo, nec vidua, nec alius quisquam, qui Dei dono continere potest, bonâ conscientia in ea perseverare possit, sed superstitiosas illas & impias opiniones, de perfectione & merito, quas hypocritæ cælibatui præter & contra Scripturam affinxerunt, taxamus & damnamus.

Thes. conf.

§. 4. Malè autem, & non sine contumelia conjugii, cælibatum dici perfectionis statum, colligimus inde, quia (1.) Viri perfecti, Patriarchæ Adam, Seth, Enos, Enoch, qui cum Deo ambulavit, Noah vir justus & perfectus, Abraham pater credentium, Isaac,

Isaac, Jacob, Joseph, Aaron & cuncti Sacerdotes V. Testamenti, multi etiam ex Prophetis, Moses, Samuel, Ezechiel &c in conjugio vixerunt. E. horum perfectio in calibatu non fuit posita. (2.) quia conjugium in omnibus est honorabile & torus coram Deo est immaculatus *Hebr. 13. v. 4.* E. tanquam status imperfectus & immundus culpam nequit. (3.) quia fides, dilectio & sanctificatio, in quibus perfectio nostra est, cum consuetudine conjugali consistere potest i. *Timoth. v. ult.* uti *Petrus 1. Epist. 3. v. 2. 4. & 5.* Uxoribus sanctis, quæ maritis suis subditæ sunt, tribuit timorem Dei, interiorem seu novum hominem, incorruptionem, spiritum, vitam & spem in Deum. E. perfectio non in solo calibatu, sed & matrimonio speranda. (4.) quia Paulus adolescentulas ad studium bonorum operum & perfectionis adhortans, non ad castitatem vitæ calibis, sed conjugalem admonet, ut viros suos ament, filias diligant, sint castæ & sobriæ *Ti. 2. v. 4.* (5.) quia is, qui calibatam eligit propterea, quasi conjugium res impura esset, sicut apud Monachos fit, doctrinam dæmoniorum sequitur i. *Tim. 4. v. 13.* (6.) quia in calibatu vitiosi affectus non exuuntur & deponuntur, quomodo E. calibatus est perfectio? quomodo supererogatio ultra præcepta, cum in præceptis legis vitiosi affectus damnentur? (7.) quia Eunuchorum, qui naturâ tales sunt, nec veros fines sibi proponunt, vel etiam illorum calibatus, qui ab hominibus castrati sunt, si tantum politicum illum finem, sicut olim in custodiendis gynæcæis usitatum erat, sectantur, ne quidem placeat Deo, sicut etiam illorum, qui vel otii causa, & ut molestias æconomicas fugiant, abstinent à conjugio. E. simpliciter status perfectionis minimè calibatus dicendus.

§. 5. Obj. 1. *Bonum est homini mulierem non tangere: Object. 2.*
bonum est homini sic esse: Solutus es ab uxore, noli querere uxorem i. Cor. 7. v. 1. 8. & 27. R. 1. Paulus non præscribit consilium aliquod perfectionis, per cuius impletionem homo plus mereatur, vel plus præstet, quam in lege mandatum, sed pro conditione & diversitate personarum, ac pro ratione temporum dicit, se dare consilium, ut quisque eligat, quod juxta mensuram doni, à Deo sibi collati ad cursum pietatis & conscientie tranquillitatem utile esse viderit. 2. Paulus hoc loco pro ratione diversarum

38
5
24
3
7
8 29
28
9 27
11
12
13
14
15
17

personarum & circumstantiarum quibusdam non calibatum, sed matrimonium consulit, at Monachi nunquam concedent, matrimonium perfectionis consilium vel statum esse.

§. 6. *Urgent* : Paulum in hoc capite conferre conjugium & calibatum, & in ista collatione disertè præferre virginitatem v. 38. Qui non elocat, melius facit, & v. 40. Beatior autem erit, si sic permanferit. R. Collatio ista virginitatis & conjugii non pertinet ad articulum justificationis, quasi virginitas opus sit, quod magis mereatur remissionem peccatorum, vel possit opponi iudicio Dei; ibi enim nec virginitas, nec ullum aliquod opus, licet præstantissimum, justificat: sed hic virginitas, & conjugium, ut opera conferuntur, & calibatus majus opus & præstantius donum, quam conjugium dicitur, nempe propter fines istos utiles, instantem necessitatem, tribulationem carnis, ibidem v. 16. & 28. denominatos, alios vide citatos §. *præced.* 3. Hi si non respiciuntur in calibatu, etiam non commendatur in Scriptura, sed ut res indifferens relinquitur, & pro diversitate causarum finalium & laudatur & vituperatur.

objec. 2.

§. 7. *Obj.* 2. In calibatu, oratione, temperantiâ & omni diligentia carnis petulantiam reprimi, & corpus impollutum servari, in conjugio longè perfectiorem dicendum. E. calibatum, statum conjugio longè perfectiorem dicendum. R. 1. Si in calibe, precibus & temperantiâ, turpes carnis motus & flammæ libidinis possunt reprimi & mortificari, tum servatur virginitas: si autem incendia libidinis illâ diligentia non possunt vel extinguere vel reprimi, juxta illud: Quò magis premitur, tantò magis æstuat ignis, & periculum inde animæ metuendum est, dum tranquillitas conscientia & invocatio turbatur, tum definitio calibatus non retinetur, quæ sanctitas corporis & spiritus eius, & non complectitur, (1) ut Spiritus noster dono Dei exemptus sit, licet non omnibus titillationibus libidinis, tamen illis, quibus delectatur cor nostrum & voluntas nostra succumbat (2) ut sit sancta corpore & spiritu. Sed Monachi errant in definitione virginitatis, statuentes, posse impollutum corpus servari, etiam si quis in-
tus incendio libidinis uratur, totus flagret & ardeat, esse tamen
vir.

virginem. *2.* quod autem pravas attines concupiscentias, sine quibus post lapsum consuetudo conjugalitatis non est, de illis quidem pii conjuges semper dolore debent, agnoscentes, incendium illud, ardorem & quasi furorem fœdæ libidinis rem bonam & Deo placentem non esse, interim statuunt, si intra limites conjugii teneatur, istius honestate & sanctitate ita obumbrari & tegi, ut credentibus non imputetur. Conjugii siquidem finis non modò procreatio sobolis est, quæ in integra natura facta fuisset sine incendio illo, sed & alius finis honestus & licitus à Paulo adducitur *1. Cor. 7. v. 5.* Ne tentet vos Satan propter *ἀγαπίαν*, quæ ex peccato originis in carne illorum, qui continentia donum non habent, hæret. Ut conjugium nunc post lapsum, quasi umbraculum æstimandum, quò multæ, ut sic dicam, ineptiæ maritales teguntur. Ideo *Longobardus* rectè dixit: Ante lapsum conjugium fuisse tantum officium, nunc verò esse etiam remedium. Quodnam nunc perfectionis loco magis reputandum? uestiones cum Monachis pati, aut medio divinitus ordinato uti? Paulus respondet *1. Cor. 7. v. 9.* Melius est nubere, quam uri. *3.* Quod videtur esse in hac causa palmarium, non posse solidum verumque à papæo clericatu afferri argumentum ad præmendam castitatem sanctitatemque status matrimonialis, cum nemo illorum usum verum sancti commercii degustaverit; Loquuntur enim aut ut inexperti consuetudinis muliebris, aut ut experti, sin ut inexperti, ineptè, ut mitissimè dicamus, loquuntur; sin ut experti, ex amore illicito & meretricio fœnore loquuntur; quæ degustatio cum consuetudine matrimoniali non est componenda, nisi velimus lucem cum tenebris confundere.

QUÆSTIO III.

An perfectio Christiana in paupertate Evangelica querenda? N.

§. I. **D**Esertionem facultatum Pontificii non præceptum quidem volunt ad salutem necessarium, attamen consilium supererogationis de opere meliori & Deo gratiori, quam sint illa communia, quorum summa Decalogo comprehensa est, pro illis, qui

Antib.

36
5
24
3
7
8 29
28
9 27
11
12
13
14
15
17

qui perfectionem ultra impletionem legis affectent, & pro suis, aliorumque peccatis satis facere velint. De illo *Maldonatus in cap. 5. Matth.* scribit: Hic est primus Evangelicæ perfectionis gradus, vendere omnia & dare pauperibus. De hoc *Bona ventura*, recensendo fines Monasticæ paupertatis, asserit: Expiationem culpæ perpetratæ, satisfactionem ex humilitate, abscissionem radicis peccati, exercitium virtutis perfectæ, fruitionem beatitudinis, quæ promissa est relinquentibus omnia. Et in solenni emissionem voti de paupertate, obedientia & castitate respondet Episcopus: Et ego promitto tibi regnum cælorum, & vitam æternam, si hæc servaveris. Dividunt etiam istam paupertatem suam supererogatoriam, & aliam dicunt *proprietatis*, aliam *communitatis*. *Proprietatis* paupertas ipsis ea est, quæ quemque privat rerum dominio. *Communitatis* verò, quæ non singulos tantum, sed etiam omnes, adeo, ut non tantum nihil habeant suum Monachi, sed ne eorum quidem ordo. Et inde distinguunt paupertatem in *altam*, *alteriorem* & *altissimam*. *Altam paupertatem*, dicunt, habere pauca propria propter Deum; *altiozem*, quæ nulla habet propria, habet tamen in communi; *altissimam*, quæ nihil habet in hoc mundo, nec in proprio, nec in communi. Proinde Monachorum alii ita professi sunt paupertatem, ut *in communi* tamen liccat esse divitibus, tales sunt *Benedictini*, *Carthusiani* &c. Alii non tantum *in communi* divites esse possunt, sed etiam *peculii proprii* non nihil habere, eorum sc. quæ pertinent ad victum cultumque corporis, ut *Carmelita* & *Augustiniani*. Denique & in proprio & in communi nihil esse suum maluerunt, ne ea quidem vestimenta, quibus carnem tegunt, cujusmodi *Franciscani* fuerunt primùm omnes, hodie tamen non omnes sed *Minimi*, *Capucini* &c.

Thef.

§. 2. Hæc Monastica paupertas, quæ sine necessitate facultates deseruntur, minimè laudatur in Scriptura, potius propter superstitionem opinionem singularis cultus, perfectionis ac meriti, pessimè audit. Commendatur autem *Paupertas Spiritus* seu spiritualis, quæ talis virtus est, quando animus seu spiritus paratus est in casu necessitatis, Deo jubentè & vocatione poscente, omnia deserere, & in corporali indigentia non irascitur Deo, neque tædio difficultatum, neque desiderio fortunarum, sed agnoscit voluntatem

tem

tem Dei, qui propter peccatum vult nos subjectos esse calamitatibus, & imponit onus paupertatis, ut sit exercitium poenitentiae, fidei & invocationis. Hac inquam, paupertas est, quae tantopere in Evangelio commendatur, quaeque tot & tam praclaras habet promissiones, & non in rebus externis, sed in affectu est, dum etiam facultatibus valde divites, si propositum habent, exigente ita necessitate, propter Christum omnia deserendi, recte spiritu pauperes dicuntur, sicut in *Apologia*, Evangelica paupertas dicitur, non desertio rerum, sed non esse avarum, non confidere opibus, sicut David pauper erat in ditissimo regno. Et hos spiritu pauperes *Jansenius in cap. 38. Concord.* recte triplices facit. *Primo* quidem, qui propter Christum omnia sua reliquerunt, quales erant Apostoli. *Secundo*, qui incidentem paupertatem propter Deum patienti animo suscipiunt, divitiis eam praferentes, spe regni caelorum. *Tertio*, qui parato sunt animo abjiciendi facultates, ubi pietatis ratio exiget. At Monastica paupertas ad nullum horum pauperum genus referri potest. Referunt quidem eam ad primum genus, sed Apostoli habuerunt speciale mandatum omnia propter Christum & praedicationem Evangelii deserendi, quo Monachi destituuntur.

§. 3. Probatum autem haec nostra sententia (1.) quia *Apostolus Paulus Corinthios ad liberalitatem & perfectionem exhortans, non suadet, ut omnia sua vendant & pauperibus donent, sed ut erogent ex aequalitate, non ut aliis sit relaxatio, ipsis vero afflictio 2. Cor. 8. v. 13. (2.) quia beatus, dicitur, esse dare, quam accipere Act. 20. v. 35. qui autem sponte se privant bonis suis, sibi ipsis auferunt proximo egenti benefaciendi facultatem (3.) divitiarum, ex benedictione Dei provenientes, si recte collocentur, adjumenta sunt virtutum & perfectionis, & e contrario paupertas multis periculis est obnoxia, prov. 30. v. 8. (4.) Paulus testatur, se & abundare, & penuriam pati posse, Phil. 4. v. 12. E. perfectionem non collocavit in paupertate. (5) quia cum opibus, depravatio & malitia hominis non exiit; quod *Tannerus* observavit, & propterea scripsit: Religio non tanto est perfectior, quanto majorem habet paupertatem, sed quanto ejus paupertas est magis proportionata fini, nempe perfectioni charitatis.*

C

§. 4.

§. 4. Obj. 1. ex *Matth.* 19. v. 21. Si vis perfectus esse, vade & vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo. ubi fingunt perfectionem esse, possessiones ac dominia rerum abjicere &c. Hic locus multos, qui zelum perfectionis habuerunt, exercuit & turbavit. Brevis autem & expedita traditur responsio in *Apologia*, per distinctionem inter præcepta generalia, quæ ad omnes pertinent, & personalia, quæ non sunt trahenda in exemplum & imitationem, quale illud Abrahami de mactando suo filio erat, & præsens exemplum, quæ sine peccato nobis imitanda non sunt: certum enim est, non esse generale mandatum legis (vende omnia) quia rerum divisio & distinctio, dominia, possessio & proprietates sunt ordinationes civiles, approbatæ in sept. præcepto: Non furtum facies. Quare speciale est de vocatione discipulatus, quod manifestum est ex additis verbis: Sequere me. E. abdicatio proprietatis omnium rerum non pertinet ad Christianam perfectionem, sed perfectio est in hoc, quod Christus addit: Sequere me. quæ sequela, si juvenis huic vocationi credidisset & obedivisset, perfectio eidem fuisset.

Regeß.

§. 5. Posset autem hic Papista regerere: Nihil dici contra ipsos, duplicem enim se statuere sequelam Christi, aliam omnibus Christianis communem, quæ per præcepta generalia inculcetur, & aliam, quæ solis illis consulatur, qui velint esse perfecti. Et hoc posteriori modò etiam Christum huic juveni consuluisse venditionem omnium, ceu adminiculum perfectionis. &c. Hæc ratione petit principium, de eo enim quaritur, an præter generalem illam sequelam, detur specialis in consiliis Evangelicis posita? Christus ipsi non ostendit vel præscribit novum perfectionis consilium, cujus impletione aliquid supra generalia legis præcepta vel supra obedientiam in lege mandatam erogare possit, sed speciali hoc mandato, ut propter Deum facultates suas relinquat, pauperibus easdem eroget, & Christum sequatur, ipsum convincere voluit de falsitate gloriationis, dum omnia se servasse Dei præcepta, falso opinatus. uti *Joh. Ferus in h. l.* scribit: Sicut Medicus, si primam medicinam se frustra adhibuisse perspexerit, fortiosem apponit: sic Christus facit. Ægrotabat adolescens, & quidem periculosè, adhibuerat Christus medicinam, ei morbo congruen-

gruentem, præceptorum sc: memoriam, quæ facile præsumptionem tollere possunt, sed frustra in hoc juvene adhibita sunt, nunc igitur adhibet efficaciorẽ, qui convictus etsi non verbis, tamen opere declaravit, se nec dum præcepta implese.

§. 6. Obj. 2. Christus dicit *Matth. 5. v. 3.* Beati pauperes spiritu, quoniam illorum est regnum cœlorum & si Christus loqueretur de paupertate corporali, nemini Christiano liceret esse diviti, & omnes illi beati prædicandi essent, quos vel fortunæ ad-
 versitas, vel ipsa necessitas pauperes fecisset, vel qui voluntariè divitiis renunciaissent, sicut à Socrate, & aliis Philosophis factum legimus, quod falsum est. Et quis indigentiam corporalem adscribet Monachis, quorum Monasteria superant Regum palatia, paupertatem jactantes in summa omnium rerum copia? Loquitur autem de paupertate spiritus, hoc est, de paupere & humili spiritu. Paupertas autem spiritus, quæ aliàs habitualis dicitur, non actualis, & in affectu vel præparatione animi potius, quam effectu, vel facto ipso consistit, non ad solos Monachos, sed omnes verè pios referenda est; Christus enim hoc à quovis Christiano flagitat, ut affectum non habeat in terrenis divitiis, sed paratus sit, cum confessio nominis divini, & ipsius gloria postulaverit, omnia deserere & pauper fieri. Addo & hoc: Pontificios statum perfectionis sic describere, quod ei promittatur majus præmium in cœlo. At Christus hic pauperibus non promittit majus præmium, sed simpliciter dicit, *illorum est regnum cœlorum*, quæ phrasi vitæ æternæ spes, omnibus fidelibus proponitur.

§. 7. Obj. 3. *Matth. 10. v. 9. & 10.* Nolite possidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam, dignus enim est operarius cibo suo. Aliis verò Christus permittit possessionem dominiorum. E. Apostolis instituit statum perfectionem. & 1. Ipsimet Pontificii fatentur perfectionem suaderi & non imperari, hic autem proponitur præceptum. 2. hoc præceptum fuit temporale, & itineri illi, quod tunc ex speciali mandato ad Judæos suscipiebatur, peculiare, quod patet ex sequentibus: quia (1.) in ista commissione, etiam hoc habebatur. *v. 5. in viam gentium ne iveritis.* Stultè autem is certè faceret, qui

39
5
24
3
7
8 29
28
9
27
11
12
13
14
15
17

perfectionem in eo quæreret. quia (2.) Christus ipse hoc mandatum abrogavit, dum *Luc. 22. v. 36.* inquit: Antea misi vos sine pera, nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram. quia (3.) nec Christus ipse, nec Apostoli hæc observarunt. Christus enim habuit loculos & in illis pecuniam, ad res emendas necessariam *Joh. 12. v. 6. & 13. v. 29.* & duplicem vestem, præter tunicam inconsutilem, super quam missa est fors, habuit alia vestimenta, quæ fuerunt divisa. Paulus præter tunicam habuit penulam. Petrus sandalia *Act. 12. v. 8.* Apostoli habent duos gladios *Luc. 22. v. 38.* Et Paulus non ab auditoribus accepit victum, sed aliunde, quod certè esset contra mandatum Christi *Math. 10. v. 10.* si esset perpetuum & universale. Quare in prima ista legatione Christus Apostolorum fidem in ista carentia superfluatorum (necessaria enim non prohibuit in viam secum assumere) confirmare, & eosdem, quâdam divinæ providentiæ, curam gerentis fidelium verbi præconum, quasi degustatione, ad futuram illam in universum orbem terrarum legationem præparare voluit.

Obj. 4.

§. 8. Obj. 4. In possessione bonorum, homines obnoxios esse multis periculis animæ, dum divitiæ, spinæ suffocantes verbum dicuntur *Luc. 8. v. 14.* indeque etiam Christum dicere *Luc. 6. v. 24.* Væ divitibus & *Math. 19. v. 23.* divites difficile intrabunt in regnum cælorum, astipulante Bernhardo: Hæc fugiendarum divitiarum causa est, quia vix, aut nunquam sine amore possunt possideri. Et *Salmeron in Epist. Pauli, tom. 13. disp. 9. p. 36.* Majoribus periculis animæ obnoxios esse Laicos, quam Monachos, secularem vitam similem esse mari, in quo Laici magnâ tempestate navigant, religiosi contra in portum recepti, tranquillè vivunt. Per desertionem autem facultatum hæc omnia pericula & impedimenta removeri, ut homo multò feliciter perfectionem adipiscatur. 2. Divitiæ non taxantur in Scriptura, sed ab intuentium vitia, sollicitudo & voluptas in illis, dicente Paulo 1. *Timoth. 6. v. 9.* qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli & desideria nociva, similiter confidentia in pecuniis *Marc. 10. v. 24.* Filioli, quam difficile est, confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire. Et quia possessor divitiarum his & aliis vitiis se facile ob naturæ corruptionem conspurcare potest,

potest, idèò tanquam inter spinas versari dicitur. An verò propterea abijciendæ erunt divitiæ? neutiquam. usus habet laudem, crimen abusus habet. In quærendis divitiis caveatur sollicitudo diffidentia, avaritiæ, desideria inutilia & nociva, injustitia & fauciatio conscientia: in possessione fiducia divitiarum caveatur, ne securi negligamus timorem, dilectionem, Dei invocationem. Et in usu, ne voluptatibus suffocemur, nec tenacitate pauperes defraudemus. Et non opus erit hypocriticâ adversariorum desertione, qui sub fucato abrenunciationis facultatum nomine, copiosissimas possident divitias, quibus sine cura & labore ad satietatem & voluptatem fruuntur.

QUÆSTIO IV.

An perfectio Christiana in consiliorum observatione consistat? N.

§. 1. PRÆter enumerata perfectionis consilia de Castitate & *Aniib.*
 Paupertate, quæ substantialia vocant Pontificii, excogitarunt & alia, de fugienda privata vindicta, de dilectione inimicorum, de cavendis temerariis judiciis & similibus, uti *Otho Brunfelsius* ea sic numerat. 1. Nolite judicare 2. ne reddatis malum pro malo 3. nolite contendere in iudicio. 4. dimitte tunicam, pallium tollenti 5. præbe alteram maxillam percutienti. 6. cogente te aliquo ad unum milliare, vade cum eo & alia duo 7. omninò ne resistatis malo. 8. benevolus sis cum adversario tuo in via 9. dilige inimicos. 10. orare pro persequentibus & calumniantibus. 11. date gratis omni petenti &c. Et ab aliis in tres ordines distribuuntur (1.) quæ ex Scriptura sumuntur. (2.) traditiones Ecclesiasticas, quæ à Pontificibus, Episcopis seu Conciliis constitutæ sunt. (3.) opera electitia, quæ sine verbo & mandato Dei bonâ intentione ad cultum & honorem Dei suscipiuntur. Et hæc consilia putant esse supra præcepta, seu perfectio quædam & supererogatio, & vitam secundum hæc consilia esse statum perfectionis. Deum enim decem sua præcepta, quæ ad salutem promerendam sint necessaria, proposuisse sub tali mensura seu moderatione, quæ nullius, etiamsi infirmi & ignavi hominis vires excederent,

rent, ut ita omnes, qui velint anniti, vitam æternam per præcepta possent consequi. Alacrioribus autem, qui alacritate quadam animi plus studeant erogare, quam Deus in præceptis suæ legis postulet, cum juvene illo *Matth. 19. v. 20.* dicente: Ab adolescentia servavi mandata, & ita feci, quantum ad salutem est necessarium, quid adhuc mihi deest, quod sc. ultra observationem mandatorum Dei sit præstandum, ut perfectior sim cæteris? illis Christum in Novo Testamento dedisse recensita consilia, præceptis divinis perfectiora, meliora, sublimiora & præstantiora, ut per horum observationem perfectionis testimonium & peculiare prærogativas in vita æterna consequantur.

Thef.

§. 2. Ast quanta errorum colluvies in hac opinione de consiliis! falsum est, in observatione præceptorum legis justitiam coram Deo, & meritum vitæ æternæ obtineri posse. Falsum est, posse mediocri diligentia legi Dei à quibusvis, etiam ignavis, tali obedientiâ, quæ ad promerendam vitam æternam sufficiat, satisfieri. Falsum est, posse hominem aliquid supererogare, id est, non tantum perfectâ obedientiâ mandata Dei implere, verum etiam plura præstantiora, sublimiora & difficiliora bona opera præstare, quam Deus in lege sua postulet & requirat. Falsum est, consilia esse supra præcepta, hoc est, opera non mandata à Deo, qualia sua dicunt consilia, esse præstantiora, Deo gratiora, & magis mereri salutem, quam præcepta. Nos præter præcepta divina dari quoque consilia, id est, opera indifferentia, quæ pro ratione circumstantiarum bona vel mala, & in cujusque arbitrio posita sunt, non negamus. Paulus enim scribit *1. Cor. 7. v. 25.* Præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Et *v. 35.* Non hæc dico, ut laqueum vobis injiciam. Sed consilia perfectionis, quæ sint supra Dei præcepta, & quorum observatione supererogationis opus præstetur, ignoramus, quia nullum opus cogitari ab ulla creatura majus potest, quam quod in primo & ultimo præcepto flagitatur. sicut & *Augustinus in Epist. ad Hieronymum* scribit: Charitatem, quantumcunque in hac vita crescat, non pervenire ad illum gradum, de qua lex loquatur: Ex toto corde. Item: Non concupisces &c. Et affirmat: Electos, ne in vita æterna quidem posse præstantius aliquid habere, quia scriptum est *Matth. 5. v. ult.*
Estote

Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est. Si autem per legem obligati sumus ad summum charitatis gradum, quem in hujus vitæ infirmitate non possumus perfectè consequi, nullus remanebit locus consilii, & operibus supererogationis, quasi per consiliorum observationem possemus aliquid supererogare, & in illis supererogationis operibus perfectionem habere.

§. 3. Fundatur autem in sequentibus hæc nostra sententia. *Theof. conf.*

(1.) quia in bonis nostris operibus semper aliquid deest. E. nunquam perfectè legem implemus, multominus opera supererogationis præstamus. (2.) quia non possumus tantum Deo reddere, quantum debemus E. multominus possumus aliquid indebiti operis supererogare. (3.) Christus *Luc. 17. v. 10.* omnem supererogationis opinionem excludit: Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, quæ debuimus facere, fecimus (4.) lex divina parvi æstimanda esset, si non in præceptorum, sed consiliorum observatione quærenda perfectio: quo nomine ipse *Gerson* agnovit: Falsum esse, quod præcepta legis ordinata sint ad virtutes sub certa mensura & gradu, & quod supra est, sub consilio esse, quia lex dicat: Ex toto corde. Et statuit consilia versari circa res, quæ sint instrumenta promoventia, disponentia & manuudentia, ut brevius & facilius acquiratur perfectio. Et (5.) si Paulus nostris operibus, in lege tamen præceptis & mandatis laudem perfectionis detrahit, multò magis perfectio traditionibus hominum deneganda erit? nisi perfectionem potius in traditionibus hominum, quam in præceptis Dei sitam credere velimus, contra dictum *Matth. 15. v. 9.* frustra colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Nulla itaque perfectio vel supererogatio in consiliorum observatione quærenda est.

§. 4. *Obj. 1.* Concionem Christi montanam *Matth 5.* in *Obj. 1.* qua consilia seu perfectiora à Christo opera præscribi videantur, quam quæ à Mose in lege requisita. Ideò Christum addere: Nisi abundaverit justitia vestra. Item: Dictum est antiquis, sc. per Mosen, Ego vero dico, id est, supra illa Mosis mandata consilia quædam suppedito, ut illi, qui cæteris velint esse perfectiores, & plura, quam quæ ad Mosaicæ legis impletionem, & ad salutem necessaria sunt, facere gestiunt, eadem servent. *Be. A. Bellarminus*
ipse

ipſe prolixè refellit hoc argumentum *lib. 4. de juſtif. cap. 3.* docens: Chriſtum eo in loco non tradere nova conſilia perfectionis, ſed corruptelas Phariſaicas, quibus legem depravant, remove, & veram legis ſententiam explicare &c. & *cap. 4.* ejusdem libri dicit: Non ait Dominus: Niſi abundaverit juſtitia veſtra, plus quam legis & Prophetarum, ſed plus quam Scribarum & Phariſæorum, ut videlicet ſignificaret, ſe non tam addere velle ad onera præceptorum legis, quam tollere de medio corruptelas Scribarum & Phariſæorum. Sicut etiam Chriſtus in exordio iſtius concionis manifeſtè proteſtatur, ſe explicationem ſuam non opponere vel ſuperaddere legi divinæ, dicendo: Non veni ſolvere legem, ſed implere, & eandem priſtinæ puritati reſtituere, juxta veram interpretationem à Moſe & Prophetis traditam. Et abſit etiam verba illa: Dictum eſt antiquis, odio habeatis inimicum &c. ad legem referre, maximè enim pugnant cum illa. Verba autem illa. Ego verò dico vobis, diligite inimicos &c. in ipſa lege Moſis leguntur, *Deut. 22. v. 2. Proverb. 24. v. 17. & 25. v. 21. Levit. 19. v. 18. Thren. 3. v. 30.* Ergo Chriſtus illâ concione non quædam ſuperaddidit legi, ut in iis ſervandis perfectiores ſe exerçant, ſed antiquam & genuinam ejus explicationem reſtituit.

Obj. 2.

§. 5. *Obj. 2.* Exemplum Pauli *1. Cor. 9.* qui ſine ſumptu Evangelium prædicando, plus fecerit, quam præceptum & ſcriptum ſit: Dignus eſt mercenarius mercede ſua *Matth. 10. v. 10.* item: Dominus ordinavit, ut qui Evangelio ſerviunt, de Evangelio vivant *1. Cor. 9. v. 14.* & propterea dicat, ſe inde, tanquam de opere ſupererogationis, habere gloriacionem *v. 15. & ſeq. Bz. 1.* Paulus non ſine omni mandato gratis Evangelium prædicavit, diſertè enim recitat mandata ſuæ vocationis *v. 12.* non abuti ſua poteſtate, & non remorari curſum Evangelii, non dare offencilum Evangelio. *v. 22.* omnia omnibus fieri, ut multi Chriſto lucrifant. Quamvis igitur Paulus illud, quod hac in re fecit, non teneretur facere ex præcepto communi, quò obligantur omnes, qui Evangelium prædicant, tamen tenebatur illud facere ex peculiari vocatione, id eſt, ex circumſtantiis locorum & temporum, tenebatur enim non ſolum evangelizare, ſed etiam omnia profectus ſperandi obſtacula amoliri, ac nihil eorum prætermittere,

tere, quæ Evangelii profectum poterant promovere. Dum igitur Paulus hic fecit, quod juxta mandata suæ vocationis debuit, etiam nihil ultra legem Dei supererogavit. Quod autem (2.) Paulus dicat, se inde habere gloriationem, id non est explicandum de operibus supererogationis, & consiliis supra præcepta, quasi Paulus gloriaretur, se non solum perfectâ obedientiâ satisfecisse mandatis Dei, sed & plura & majora præstitisse. Nam nota est querela Pauli, se in hac mortali vita, etiam post renovationem Spiritus, non posse invenire, ut perficiat legem Dei. Proinde duplex est gloriatio, una coram judicio Dei in articulo justificationis, in quo *Rom. 3. v. 19. & 20.* omne os obstruitur, & reus fit omnis mundus Deo, dum ex operibus legis non justificatur coram illo omnis caro. ubi etiam gloriatio exclusa est *Rom. 3. v. 27.* Ne quis gloriatur *Eph. 2. v. 9.* Ne gloriatur in conspectu Dei omnis caro *1. Cor. 1. v. 29.* Altera est testimonium conscientiæ nostræ, de qua *2. Cor. 1. v. 12. & Act. 24. v. 16.* Et de hac loquitur Paulus, dum certissimus est, se offendiculum profectui Evangelii non dedisse.

QUÆSTIO V.

An perfectio Christiana in fide & charitate collocanda? A.

§. I. Sicut olim Manichæi, docentes: Fideles & baptisate renovatos non debere domos, aut pecuniam ullam possidere, Christum enim ita promississe cœlestia & æterna, ut temporalibus omninò interdicit suis. tali discrimine mitigabant suam sententiam, ut auditoribus suis, tanquam imperfectioribus, permitterent proprietatem & possessionem rerum, sed addebant illos propterea indigere gravi purgatione. Electos verò suos (in hos duos enim ordines potissimum dividebatur secta Manichæorum) perfectos prædicabant, quod difficiliorum præceptorum observationem eligerent. Judicabant enim nimis esse facilè, credere Christum incarnatum, passum, mortuum &c. diligere Deum & proximum &c. Ex eadem plane causa Monachi religiosos fingunt perfectos, & vulgares Christianos imperfectos, quasi hi, se saltem

Antith.

D

exer.

exerceant in fide & charitate, i. e. in mandatis Dei & observatione Decalogi : istos autem se exercere in perfectioribus, melioribus, sublimioribus & præstantioribus, quæ nempe Christus in Novo Testamento supra illa præcepta addiderit. Et ex his sperandam esse perfectionem, non ex fide & charitate, ceu præceptis nimis facilioribus.

Thef. conf.

§. 2. Sed talem perfectionem, sive in facilioribus Decalogi, sive difficilioribus Christi præceptis quærant Pontificii, ceu legalem nos ignoramus, facit enim persuasionem, ac si bona nostra opera essent perfecte bona, ipsisque nihil hujusmodi imperfectionis aut sordium adhæreat, cui opus sit misericordia Dei, & remissione peccatorum, sed posse ea consistere, etiamsi Deus cum illis in iudicium intret. Et statuimus *perfectionem absolutam* in hac vita non dari, sed *perfectionem limitatæ & comparatæ sumptam*, consistentem in fide & charitate *Col. 3. v. 14. 1. Timoth. 1. v. 5.* In Scriptura enim renatis triplici respectu tribuitur perfectio (1.) quoad imputatam Christi perfectionem : quâ ratione credentes dicuntur consummati in Christo. *Col. 1. v. 28.* (2.) Perfectionis elogium opponitur simulationi vel hypocrisi, & homo perfectus idem est, ac homo sincerus, ardentem ac sinceram charitatem habens erga omnes homines. (3.) Perfectio accipitur de justitia certi alicujus facti : quemadmodum Josias *2. Reg. 23. v. 25.* dicitur reversus esse ad Dominum in omni corde suo, in tota anima sua, juxta omnem legem Moïsis, puta, quoad certam speciem facti, nempe quoad reformationem illam in cultu, secundum præscriptum legis Mosaicæ susceptam, ubi idolomaniam ex toto, & quasi radicis evulsit & exterminavit. Interim personæ suæ ratione non fuit expers peccati, cum originalis, tum actualium. Et hõc modõ possunt in hac vita alii aliis perfectiores esse, vel potius & *magis propriè plus minusve imperfecti*, ratione sc. fidei, & diversorum perfectuum in amore Dei & proximi. Et huic nostræ sententiæ suffragatur *Lutherus b. m. in lib. de votis Monast.* Perfectio Christiana est, esse animosâ fide contemptorem mortis, vitæ, gloriæ & totius mundi, & fervente charitate omnium servum. Et *Apolog. Confession. p. 282.* Quia regnum Dei est justitia & vita in cordibus,

bus, ideò perfectio est, crescere timorem Dei, fiduciam misericordiarum promissarum in Christo, & curam obediendi vocationi, sicut & Paulus describit perfectionem: transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu. Non ait, alium subinde cuculum accipimus, aut alios calceos, aut alia cingula. Miserabile est in Ecclesia tales Pharisæicas, imò Mahometicas voces legi & audiri, videlicet, perfectionem Evangelii, regni Christi, quod est vita aeterna, in his stultis observationibus vestium, & similium nugarum collocari. Et p. 285. Omnes homines in quacunque vocatione perfectionem expetere debent, hoc est, crescere in timore Dei, in fide, in dilectione proximi, & similibus virtutibus spiritualibus.

§. 3. *Obj.* Pontificios quam maximè pugnare pro fide & charitate, seu fide sua formata, ut loquuntur, contendentes, in definitione fidei justificantis addendam esse hanc particulam: Fides, quæ adjunctam habet spem, dilectionem, & reliquas virtutes, justificat. *R.* Pontificii considerant fidem, ut virtutem, & quia illa imperfecta & languida est, cogitant, fidei aliquid assuendum esse, quod addat quasi pondus quoddam majoris meriti & dignitatis, ut possit justificare, quasi fides virtutem & efficaciam justificandi mutuetur à charitate, & hanc fidem vocant formatam. Ast ubi secundum hanc explicationem est Christus, justitia & perfectio nostra? Scriptura in contrarium affirmat, fidem ideò justificare, quia Christum, qui nobis à Deo factus est justitia, apprehendit, & sibi applicat. Quare hæc nostra fides præter notitiam & assensionem complectitur apprehensionem Christi Mediatoris, dum pœnitens peccator se avertit à suis imperfectionibus & imperfectis operibus, deputans ea cum Paulo stercorebus, ut inveniat in Christo, habens non suam justitiam, quæ ex lege est, sed quæ ex fide Christi *Phil. 3. v. 8. & 9.* Quæ fides quidem haud sine charitate & aliis virtutibus est, non tamen perfectis, ut inde perfectionem consequi velimus, nisi adhærentes imperfectiones tegantur. ut *D. Chemnitius super versum 15. hujus capituli* scribit: Perfecti sunt fideles, imputatione sc. & inchoatione. Primò enim fides in Christo accipit, habet & possidet per imputationem in-

tegerimam & perfectissimam impletionem legis ad justitiam & salutem. (2.) Spiritus S. renovat corda credentium, ut incipiant facere legem, ac vitæ novitati studere. (3.) quod in inchoata illa obedientia non perfectum, sed immundum est propter carnem, id credentibus propter Christum non imputatur, sed tegitur.

QUÆSTIO VI. vel ULT.

Quis harum V. questionum usus est practicus?

Antith.

§. 1. Pontificii doctrinæ suæ de perfectione usum duplicem statuunt, consolatorium & admonitorium, prohibere sc. desperationem in imbecillioribus, & excitare alacritatem in illis, qui majora dona habeant. *Illis*, nempe imbecillioribus non esse desperandum, vel idè quod præcepta Dei sint transgressi, posse enim id per observationem consiliorum, seu per opera perfectionis & supererogationis compensari: vel etiam idè, quod non possint tantum præstare, quantum Paulus, qui dicit: Se plus cæteris Apostolis omnibus laborasse 1. Cor. 15. v. 10. tantam enim perfectionem non imperari, sed suaderi à Christo, qui saltem consilium dederit, quomodo, si velimus, illam perfectionem assequi possimus, qui autem negligens sit, & non assequatur, id nihil officere salutis suæ, quia sub pœna peccati mortalis non sit proposita illa perfectio, uti *Bellarminus lib. de Monachis cap. 7. §. 2.* dicit: Consilium est opus bonum à Christo nobis non imperatum, sed demonstratum, non mandatum, sed commendatum &c. consilium autem si non servetur, nullam habet pœnam, & si servetur, majus habet præmium. Et *Salmeron tom. 7. in cap. 10. Luc. p. 97.* Opera quædam necessaria sunt ad salutem, quædam verò consilii & perfectionis sunt, ad quæ præstanda nemo obligatur. Erogat ergò, qui sibi credita talenta distribuit; supererogat, qui amplius, quam accepit, impendit. *His* autem, qui majora dona habeant, calcar quasi addi, ut ultra illam metam, quam communi Christiano attigisse sufficiat, progrediantur ob trigessimum, sexagesimum, imò centesimum fructum, quem perfecti sint habituri, nempe peculiarem illam aureolam in regno cælorum, ac præmium illud.

illud accidentale, essentiali beatitudine, omnibus communi ma-
jus, uti consilium ab ipsis definitur.

§. 2. Verum enim verò mera & crassa hæc sunt menda-
cia, & technæ patris mendaciorum, qui ut majori cum lucro fal-
lat, in Angelum lucis se transformat. Consolatio enim, ne in-
firmitate desperemus, non est petenda ex lege, quasi illa nihil ul-
tra à nobis requirat, nullam majorem vel præstantiorem obedi-
entiam, quam qualem hæc nostra natura in hac vita præstare possit:
sed ex articulo justificationis, dum credimus Christum esse pro-
pitiacionem pro peccatis nostris, & redemisse nos ab omni iniqui-
tate, credimus ejus merita & beneficia nobis conferri & donari
ad nostram salutem. Sicut etiam Scriptura fidei justificanti has
proprietas sive effectus tribuit, ut afferat remissionem pecca-
torum, adoptionem, absolutionem ab accusatione legis, ac-
cessum ad Deum, pacem conscientiæ, purificationem cordis, vi-
ctoriam mundi, salutem & vitam æternam &c. Et quod alterum
concernit, Apostoli longè aliâ ratione excitant alacritatem be-
ne operandi in renatis, quam Pharisaicâ illâ opinione de superero-
gatione, in qua homo sibi ipsi placet, admiratur suas virtutes &
opera, & incipit inolescere. Studium autem humilitatis in ipso
cursu & flore virtutum sive bonorum operum, sicut difficilius, ita
magis necessarium est, ut ipsa sinistra, quæ cooperatrix est, ne-
sciat quid faciat dextra, ut cum omnia fecerimus, dicamus, servi
inutiles sumus, quæ debuimus, nec perfectè ex toto corde, anima
& viribus, fecimus. Sicut electi *Matth. 25 v. 37.* coram tribunali
Dei opera sua nolunt agnoscere, etiam tunc, quando coram uni-
verso cœtu & hominum & Angelorum, ab ipso filio Dei magni-
ficè prædicantur & commendantur. Et dulcissima extat descri-
ptio *Apoc. 4. v. 10.* ubi viginti quatuor senioribus dantur coronæ
aureæ, sed quando procedunt ante sedentem in throno, adoraturi
viventem in secula, mittunt coronas suas ante thronum, dicentes:
Tu dignus es, Domine Deus noster accipere gloriam & virtutem.
Si autem studium, sive ut Paulus loquitur, zelum bonorum ope-
rum in nobis & aliis exuscitare & accendere volumus, habemus
alias causas impulsivas: *Mandatum Dei Joh. 15. v. 12.* Hoc est


D 3


manda-

mandatum meum, ut diligatis vos. *Voluntatem Dei* 1. Theff. 4. v. 3. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. *Beneficia Christi*, qui pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt, jam non sibi, sed Christo vivant 2. Cor. 5. v. 15 *Renovationem Spiritus* Gal. 5. v. 22. & 25. Si spiritu vivimus, & spiritu ambulemus. *Imitatio Dei* 1. Joh. 2. v. 6. *Promissionem præmiorum* Licet enim nostra opera non mereantur immensos illos thesauros, remissionem peccatorum, gratiam, justitiam, liberationem à morte & Diabolo, salutem & vitam æternam, hoc enim solus præstitit Christus; habent tamen ex gratuita divina promissione alia præmia corporalia & spiritualia, & in hac vita & post hanc vitam, dicente Paulo 1. Tim. 4. v. 8. Pietas ad omnia utilis est, habens promissiones & hujus & futuræ vitæ. Quas impulsivas, & alias multò plures in tres classes distributas videre licet *in part. 3. Loc. Theol. D. Chemnitii p. 60. & 61.* Et his causis, si fervorem in auditoribus nostris languere vel decrescere sentimus, excitandi sunt ad studium bonorum operum. Quod studium etiam in cordibus nostris Spiritus S. operetur.


Amen.











DE
 ODIERNO
 STATU
 ECCLESiarUM
 IN
 ANGLIA,
 WALLIA,
 SCOTIA,
 ET
 HIBERNIA,
 RATIVNCVLA.



no Domini M. DC. LIV.